

di, nequeunt rustici à veniali culpa excusari, ut excusat Job in suis maledictionibus, quia hæ processerunt, vel ex magnis calamitatibus, vel quantum illa, quibus maledixit, fuerunt peccandi occasio. Ita communiter cum Cajet. 2. 2. q. 13. art. 1.

MENSE SEPTEMBRI.

CAS. I. **M**ortuo Parochio, ejus nepos invenit inter deposita sibi ab eo relicta, torqueum aureum, sciens quidem esse vel Petri, vel Pauli, dubitans tamen an sit determinate Petri, vel Pauli, cumque de hoc nequeat certificari, petit à novo Parochio ad quem spectet torques aureus. Q. Parochi responsio.

Respondeo. Parochum teneri respondere, primum aurei torquis esse æqualiter dividendum inter Petrum, & Paulum, ita cum Azor. tom. 1. lib. 2. c. 15. §. Quinto queritur: Ratio est, quia posito æquali dūbīo absque motivo potius ad unam, quam ad alteram partem impellente, & absque spe certitudinem habendi ad quem determinate spectet torques aureus, æquale est jus ad illum in Petro, ac in Paulo, ut patet; unde absque lesionē talis juris non potest Parochi nepos potius Petro, quam Paulo torquem tradere, cum non sit rei dominus, sed simplex restitutor, qui juris æqualitatem tenetur servare, & sic primum torquis inter Petrum, & Paulum dividere.

CAS. II. Parochus sciens pueros, & puellas suæ Parœciae in Doctrina Christiana à parentibus instrui, non curat, ut Ecclesiam diebus festis accedant. Q. an sit à peccato immunis.

Respondeo, esse immunem saltem à peccato lethali. Ratio est, quia cum docere Doctrinam Christianam pueros sit præcipuum munus Parentum, & quodammodo Parochi sint ad hoc in eorum supplementum deputati, sequitur Parochum scientem à parentibus pueros, & puellas suæ Parœciae recte instrui in fidei rudimentis, quod est speciale intentum Ecclesie obligantis Parochios ad Doctrinam Christianam pueris explanandam, esse saltem à peccato lethali immunem, ut cum communi tenet Leand. tr. 7. de Paroch. q. 2. Dico saltem à lethali, quia non curat, ut pueri, & puellæ, licet rite instruantur à parentibus, ad Ecclesiam diebus festis accedant, vel ut magis in fidei rudimentis confirmentur, vel ut aliis exemplo sint, nequit in Parochio à quadam negligentiae specie excusari.

CAS. III. Petrus ruri existens non audit Sacrum diebus festis, quia per unum milliare ab Ecclesia distat. Q. an peccet graviter.

Respondeo affirmative, attenta præcise dicta distantia. Ratio est, quia unus milliarii iter, licet debeat per redditum duplicari, non solet grave incommode afferre, ratione cuius casset erga Petrum Ecclesiasticum præceptum urgere; ita magis communiter, quidquid dicat Marchin. de ord. cap. 17. num. 19. Dixi præcise attenta dicta distantia, quia si aliae occurrant circumstantiae, juxta illas erit judicandum, ut docet Suarez, tom. 3. in 3. parte disp. 88. sect. 6.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. **P**arochus per duodecim festa interrupta intra annum omittit prædicare. Q. an peccet graviter.

Respondeo affirmative. Ratio desumitur ex dictis in responione ad secundum Casum Augusti; si enim integer mensis continuus est materia gravis, tum in se, tum respective, à fortiori, talia essent duodecim festa interrupta intra annum; ita sentit Leand. loc. cit. cum aliis, dicens Parochum peccare graviter per duos, aut tres menses discontinuos totius anni omittens suis ovibus verbum Dei prædicare.

CAS. II. Parochus putat satisfacere obligationi de Concionibus instituendis, si ante Vesperas populum doceat Catechismum. Q. an bene sentiat.

Respondeo negative. Ratio desumitur ex Tridentino: Etenim sess. 5. de Reform. c. 2. loquens de obligatione conciones habendi, ait: *Quicumque Parochiales habentes Ecclesias, plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant, annuntiando, &c. sect. vero 24. c. 4.* sermonem habens de obligatione docendi Doctr. Christianam, hæc habet: *idem Episcopi saltem Dominicis, & aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta &c. diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt.* Ubi notandum est, Trid. agendo de Concionibus, dicere plebes sibi commissas pascant annuntiando; agendo vero de Doctr. Christ. dicere pueros fidei rudimenta; ex quo diverso loquendi modo clare colligitur, obligationem conciones habendi distinctam esse ab illa docendi pueros Doctrinam Christianam, consequenter per hujus adimplitionem Parochum primæ non satisfacere.

CAS. III. Titius quocumque dato verbo jurat, non advertens, aut distinguens, an juret verum, vel falsum. Q. an quoties jurat, toties graviter peccet.

Respondeo negative. Ratio est, quia taliter jurans solum materialiter jurat, & profere solet per Deum ita est, per Deum ita non est, nedum sine animo jurandi, sed ne quidem sciens jurare; unde nec jurat, nec lethaliter peccat, saltem toties quoties præfata verba profert, ita cum meo Girib. de jur. c. 1. dub. 3. n. 21. Debet tamen Confessarius totis viribus curare, ut malum poenitentis habitum radicitus evellat, aliquando ei absolusionem differendo, donec resipiscat.

MENSE NOVEMBRI.

CAS. I. **P**arochus putat satisfacere obligationi docendi Doctrinam Christianam, si tale munus præstet per Capellanum. Q. an bene sentiat.

Respondeo negative. Ratio est, quia sicuti non satisfaceret suæ obligationi, si vel totam curam alicui Vicario committeret, quem solum habere potest in Coadjutorem, vel si prædicationes totius anni per alios suppleret, cum id solum illi permittatur à Tridentino sess. 5. c. 2. si legiime fuerit impeditus; ita non existente legitimo impedimento, non satisfaceret obligationi docendi Doctrinam Christianam, si tale munus continuo per Capellatum præ-

præstaret, cum ad illum, ut Pastorem, dirigantur verba Christi: *Pasce oves meas*, non ad Capellatum.

CAS. II. Paulus sponsalia contraxit cum Berta coram testibus, postmodum clam votum simplex castitatis eniſit. Q. ad quid teneatur.

Respondeo, teneri matrimonium contrahere cum Berta pro matrimonio instantे. Ratio desumitur tum ex quo in c. *Veniens qui Clerici, vel voventes, Pontifex dicat imponendam esse pœnitentiam ob mentitam fidem fœminæ, quæ post contracta sponsalia votum castitatis emiserat, quæ pœnitentia non fuisset imponenda, si per votum castitatis sponsalia dissolverentur; tum ex quo votum in tali circumstantia non acceptetur à Deo, cum sit in præjudicium tertiae personæ, cum qua sponsalia fuerunt contracta; tum ex quo sponsalia jure positivo habeant quidem imbibitam conditionem, Nisi religio nem elegero, non vero, nisi voluerio cœlibem vitam ducere.* Unde cum Berta pro matrimonio instantē tenetur Paulus sponsalia complerē, matrimonium de præsenti contrahendo, ita magis communiter cum meo Rosignol. de spons. 2. prænot. 4. in 4.

CAS. III. Petrus saepe blasphemat contra Deum, contra B. V. contra Sanctos, & in Confessione hujusmodi blasphemias non distinguit. Q. an satisfaciat integrati Confessionis.

Respondeo negative. Ratio est, quia saltem blasphemiam contra Deum res-
pective ad blasphemias contra B. V. contra Sanctos habet annexam cir-
cumstantiam notabiliter aggravantem intra eamdem speciem, hinc notabili-
ter variantem judicium Confessarii; quæ circumstantia cum ex alibi dic-
atis sit in confessione aperienda; sequitur, hac non expressa, ut in casu, con-
fessionem non fuisse integrum, ut requiritur. Dico saltem habere annexam
talem circumstantiam, quia non desunt DD. penes Lugum de pœnit. disp.
16. n. 278. docentes, differre specie nedum blasphemiam contra Deum à
blasphemis contra B. V. & Sanctos; sed etiam blasphemiam contra B. V.
ab illis contra Sanctos, in qua hypothesi certissimum esset Petrum integri-
tati confessionis non satisfecisse.

MENSE DECEMBRIS.

CAS.I. **C**apellanus quidam noluit Petro proxime morituro Extremam Unctionem ministrare , quia carebat Stola . Q. an bene se geserit.

CAS. II. Alter Capellanus noluit similiter ad mortem Infirmo idem Sacramentum ministrare, quia dicet haberet Stolam, carebat tamen Superpelliceo. Q. an bene se gesserit.

CAS. III. Parochus noluit Sacro Oleo Infirmum ad mortem inungere, quia cärebatum Stola, cum Superpelliceo. Q. similiter an bene se gesserit. Respondeo probabilius negative. Ratio est, quia vestes sacerdotales non requiruntur ad validitatem Sacramentii ministrandi à solo Sacerdote; aut ad vitandam aliquam irreverentiam erga Sacramentum; nam sicuti valida est absolutionis data à Sacerdote sine talibus vestibus, licet nequeat dari nisi à Sacerdote, & nulla irreverentia interrogatur Sacramento Pœnitentiæ illud abs-

que dictis vestibus ministrando, ita valide, & absque irreverentia ministrari potest Extrema Unctio sine Stola, & Superpelliceo. Solum ergo requiruntur vestes Sacerdotales in collatione Extremæ Unctionis ad servandum ritum Ecclesie, qui sane servandus est, nisi urgeat necessitas, ut in casu, in quo Infirmus ab hoc mundo esset discessurus absque hoc Sacramento, & sic absque ejus fructu in mortis articulo maxime necessario, urgente vero necessitate posset non servari, si aliter nequirit ministrari: sicuti non servatur in simili circumstantia ritus quoad lumen, & quoad preces consuetas in Rituallis præscriptas. Neque ex hoc potest inferri primo ministrari posse urgente necessitate, etiam Viaticum sine Stola, & superpelliceo. 2. posse ministrari Extremam Unctionem sine Stola, etiam nulla urgente necessitate, cum sic ministretur pœnitentia. Non primum, quia Euch. est Sacramentum Sacramentorum, ideo specialem exigit reverentiam. Noh secundum, quia quoad Extremam Unctionem adest in usu ritus ab Ecclesia præscriptus illam ministrandi cum vestibus sacerdotalibus; qui extra necessitatem servandus est; non sic habetur pro pœnitentia præscriptio semper utendi Stola in ejus ministerio: ideo, nulla urgente necessitate, Extrema Unctio cum vestibus sacerdotalibus; urgente vero, ut in casu, etiam absque talibus Indumentis ministranda est; unde non bene se gessit Parochus in casu tale Sacramentum ob Stolæ, & Superpellicei defectum non ministrando. Ita cum Poss. Leand. & aliis de Extrem. Unct.

CASUS CONSCIENTIÆ BONONIENSIS DIOECESIS PRESBYTERIS

*Ad discutiendum propositi, ac resoluti: Ab anno
1738. usque ad 1740. & iterum impressi.*

ANNO MDCCXXXVIII.
MENSE JANUARII.

CAS.I. **S**ulet Cajus in Sacris constitutus Vespertas , & Completorium
recitare , dum vestibus se exxit , ut cubitum eat . Q. an gra-
viter peccet ?

Respondeo negative. Nam licet peccati gravis reus censendus sit, qui notabilem Divini Officii partem recitat distractus in illis externis rebus, quæ necessariam attentionem excludunt, ut sunt scribere, pingere, & similia; hoc